



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. III. Argumentum. Liberatus Telemachus. A Narbale reductus Tyrum.  
Mores Pygmalionis Regis Tyri. Mores & leges Tyrionum. Sub ipsum fere in  
Cyprum abitum proditus. Dolo Astarbææ Regiæ concubinæ ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

revulsi capitis aspectus impressit. Ut manabat cruore & sanie! ut oculi clausi & offusa caligine! vultus pallore deformatus, labia distorta, & quasi inceptum verbum sædè hiantia! ut in exanimato corpore adhuc perseverabat immanis gestuum ferocia! Nunquam sanè hæc horroris plena imago meos oculos fugiet. Et si astra mihi concefferint potiri regnò, tam miserabilis exitii spectator & testis identidem admonebor: Tantum imperandi merito, tantum felicitati potentiæ suæ reges detrahere, quantum imperio sanæ rationis. Ah! miserum hominem, qui destinatus in incrementum publicæ salutis, ab una destruendæ eius licentia potestatis suæ argumentum petit.

## TELEMACHUS.

## LIBER III.

**T**anta loquentis Telemachi sapientia Deam admirationi immerferat. Omnium maximè probabat, nihil celare iuvenem, quæ seu immaturitate consilii peccaverat, seu eorum, quæ Mentor olim suasit, neglectu. Vulgo quippe maioris & præstantis animi specimen erat accusare se, & (quod videbatur) ex inconsultè gestis consultè, moderatèque agendorum rudimentum elicere. Unde illa: perge, amabò. Fac intelligam ex te, quemadmodum ex Ægypto evaseris, atque hoc, tam cauto rerum, amico (Mentorem aspiciebat) post gravissimas iacturam eius acerbiùs dolendi causas denuo sis auctus. Hic Telemachus instaurato sermone: Cum numerò multis partibus

inferiores essent, quorum probitas & fides in Bochoridem perseverabat, cedendum erat multitudini; utique cum occiso rege desiderarent, quem sequerentur. Imperii insignia Thermuti data. Phœnices iuncta cum Rege novo amicitia, redditisque ab eo omnibus, quos sive Sefostris, sive Bochoris exceperat, cum Cyprio milite revertuntur. Ego, habitus quasi ex eadem gente, dimittebar ex vinculis, unaque cum reliquis imponebar navi, verissima spe animum, ex quo diffluerat, repetente.

Iamque vela propitium à puppi ventum conceperant: Sublatis anchoris everberati crebro remorum impetu fluctus concitabantur in spumas: tenebant altum provecta navigia; crescebatque naurarum clamor, qualem re bene gesta solemus edere. Auferebantur è conspectu littora, in planitiem paulatim montium iuga decresebant; quæque versari ob oculos cœpère, aut pontus, aut æther erant: Cùm oriens Phœbus quasi Scintillantem, superbumque flammis apparatus videbatur ex undis admovere, ac quod nescio pretium speciémve auri montium culminibus, quæ nondum Horizon absorpserat, aspergere. Ex reliqua cœli facie, quæ cœrulea erat, caligini non nihil favens, omninabantur, placidum mare navigantibus fore.

Quamquam autem saluti mihi fuerat, pro Phœnicæ haberi, tamen in omnium, quibuscum eram, Phœnicum ignoratione versabar. Narbal præerat navigio, quod iussus eram conscendere. Ille nomen & patriam scire volens, cuius in Phœnicia oppidi civis essem, interrogat. Negabam me Phœnicem esse, sed ab Ægyptiis, cùm Tyria navi veherer, interceptum.

Apud

Apud eos (perrexi) re quasi vera hostis detinebar in custodia, fuitque mihi & diuturnæ molestiæ & ab ea libertatis causa Phœnicis nomen. Cuias igitur essem, rogatus: Telemachus sum, dixi, Ulyssis, cui subiecta vel est, vel erat Ithaca Græcorum, filius. Populorum Troiæ nemini claritudine nominis decessit genitor. Sed adhuc Deorum voluntate arcetur à patria. Terra marique perquirebam: at in calamitatem eius incidi. En! hominem, in quem incumbunt omnia fortunæ odia, à qua tamen nihil præter unum conspectum patris meorumque efflagito.

Præfectus stupere, me intueri, arbitrarique, se nescio quid in me observare, à Diis solis, nec quibusque hominibus solitum dari. Erat illi tam à vulgo quam à simulationis arte remotum ingenium. Itaque tactus dolore meo familiariter cœpit mecum agere; Deorum instinctu, credo, ut, quod gravissimum impendebat capiti meo periculum reiiceret. Quæ tu mihi, Telemache, aiebat, suspecta non habeo; sed nec habere potuerim unquam. Id lenitas, id virtus prohibent, quas luculentos testes ore tuo circumfers. Imò, quos adhuc amavi Deos, favere tibi sentio, velléque, ut in Narbale habeas patrem. En salubre consilium, quod gratis dabo, nisi celari quòd velim. Securum ego iubebam esse, asseverans facillimum mihi, rebus, quæ mihi committerentur, præstare silentium. Etsi parùm ætate, plurimùm tamen me processisse consuetudine tum ab aliorum conscientia removendi interiora mea, tum maximè quocunque titulo foras non efferendi cognitioni meæ impertita. Eo deinde percontante, quemadmodum ita teneros

C 5

annos

annos hac virtute instruxerim asserentéque, fore sibi pergratum intelligere, qua ratione tacendi artem, illud sapienter vivendi rudimentum, illud unicum ornandi animi subsidium, perdidicerim; hunc in modum respondi :

Ulysssem, cùm Troianæ expeditioni se accingeret, sinu me ulnisque excepisse narrant, collóque tenerrimè admotum, quanquam infantem, ita compellâsse : Utinam nunc ultimò te, nate, videam ! utinam, quod vix cœpère, stamen vitæ tuæ atræ Sorores inciderent, neque aliter quàm recens orti flosculi ætatulam secarent ! utinam sive hostes mei sive inimici te, inspectante genitore, præsentem genitrice dilaniarent in frustra, si quando futurum Astra præviderent, ut à patris virtute degeneres ! Filium meum vobis, amici, (nam & hos alloquebatur) filium tantopere dilectum trado. Infantiam eius curate. Procul, si me amatis, procul à puero assentationis pestem reiicite. Discat ex vobis triumphare de se ipso. Tenello arborum generi similis est, quod ne defleat, dum adolescere incipit, flectitur. Præ reliquis illud, obsecro, quod iustitiam, quod beneficentiam, quod candorem, quod fidem arcanorum ingenerare tenello animo possit, ne intermittite. Neque enim aut mendax meretur vivere, aut arcani proditor imperare. Propterea id refero, quia magna omnibus cura fuit paterna documenta mihi inculcandi; eaque adeò non leviter infedère animo, ut postea nihil æquè ac Ulyssis præcepta memoria frequentaret. Neque amici, quibus me parens crediderat, cùm ætas pateretur, segniter discipulum usu tacendi secreta exercuère. Illi longè adhuc infra ephebos balbutienti dolo-

rem

rem impertire, quem ex præfenti, & matri ob temeritatem magno numero ambientium nuptias imminente, periculo concepiffent; illi ex eo iam tempore mecum agere, quasi cum potente rationis, & cui omnia tutò committi queant; confultabant me præfente de rebus graviffimis: exponabant, quo confilio decreviffent submovere procos. Ego, cùm fidei meæ tantum viderem credi, gesticbam veriffimò gaudiò, neque dubitabam, iam firmam, & grandibus maturam rebus mihi ætatem effe. Nec perverfe utebar hominum in me fiduciâ. Taciturnitatis leges ea religione colebam, ut nec verbum fecretorum damno unquam hoc ore exciderit. Equidem qui genitrici molefti ob amores erant, non femel nec leviter tentabant rude filentium ea fpe, proditum iri à me, fi quid paulo maioris momenti pueriles hofce vel oculos vel aures advertiffet. Sed elufi operam ea dexteritate, ut respondendo nec vitium veritati, nec palàm facerem, quæ celare oportuit.

Haftenus ego. Tum Navarchus: quæ fit Phœnicum potentia, facilè coniectabis, Telemache. Classes habent finitimis terribiles; protractis ad ipfas Herculis columnas mercimoniis adeò quaestuoſi, ut nec illuſtriſſimis feliciffimisque gentibus debeant invidere. Sefoſtris ipſe (quantus Rex!) eos marî nunquam vicit, terrâ non ſine maxima ſua vexatione & quanquam Aſiæ domitore inducto exercitu. Tributum imperavit, ſed nobis recuſantibus oppidò caducum. Rerum, copiarumque abundantia, quæ Tyrios beabat, ordinem nec diu nec leviter tulit. Excuffo ſervitutis iugo ad libertatem reditum eſt. Bellum, quod Sefo-

Sefo-

Sesostris propterea nobis faciebat, fata prohibebant finire. Et profectò nulla erat calamitas, quam amolientibus iugum facultas virium eius & maxime consiliorum, inferre non potuisset. At extincto patre ubi ad filium devolutæ res sunt, plumbeum sanè & ad sapientiam nihil eruditum hominem, rectè statuimus, licere nobis iam esse vacuis metu. Neque deinceps Ægyptii agros nostros intravère cum armis, ut revocarent ad obedientiam. Quid? quòd nos vocare in auxilium adversus impium & crudeliter imperantem Regem debuerunt. Modò hostes eorum, nunc liberatores sumus. Quantum inde libertati nostræ decus, quanta opulentæ Phœniciae gloria!

Verùm enim quibus libertatem suam Ægyptus debet, servimus ipsi miseram servitutem. Est sanè Telemache, quod metuas, in Pygmalionis, qui nobis imperat, ne inferaris manus. Etiamnum illæ Sichæi cruore sordent, quem ex matrimonio cum Didone Sorore affinem habuit. Didonem facta mariti cæde desiderium vindictæ cum classe Tyrò abstrâxit, plerisque, quos virtutis amor libertatisque trahebat, prosequentibus viduam. Illa oram Africæ nobilitavit condita urbe, quam Carthaginem vocant, magnificentiae illustrissimum exemplum. Interim Pygmalioni calamitatem & subditorum invidiam infinita rerum cupiditas, qua incensus est, magis magisque cumulat. Divitias habere crimini civibus ducitur. Diffidentiâ & suspicionibus tyrannum implet opum esuries & humanitate paulatim exuit. Odit divites; pauperes metuit.

Sed longè graviore scelere se ex Tyriis censentur

tur

rum obstringere, qui virtuti student. Pro certo enim ponit, iniquum & tot nefasta perpetrantem bonis intolerabilem esse. Damnat scelestum probitas, cui gravissimè irascitur. Nihil est, quod non agitet, non perturbet, non torqueat miserum. Ad umbram suam trepidat, per diem vigilanter anxius, per noctem anxie vigil. Et nescio, maioribusne ludibriis Dii cumulent, an divitiis, quibus uti non audet. Moratur omninò felicitatem eius, quòd anhelat felix esse. Dolet vel obulo thesauros minuere, néve tantillò careat, nunquam desinit vereri. Augere sua cum afflictu curat. Conspectum hominum sustinere putas? imò in infimis ædium suarum partibus, remotis arbitris, solitarius, squalens & afflictus torpet. Sunt, quos cognatos regis appellamus. Sed neque ipsi assistere lateri audent, ne affines eius suspicionibus sint. Immane præsidium cum ferro, hastisque collocatum ad fores palatii exasperat adeundi copiam. Triginta omnino cubicula sunt, non pluribus sparsa locis, sed contigua, mutuòque introrsum transitu. Singulorum aditus obices sex muniunt magnæ molis, & ex ferro. His velut domesticis carceribus ab consuetudine hominum & forensi luce se prohibet. In quonam illorum pernòctet, semper incertum; affirmantque nunquam duas noctes continuas in eodem cubiculo versari insidiarum metu. Ignorat, quid animi iucunda remissio, quid hac iucundior amicitia. Admonitus, ut ingrediatur dulce otium, illud sentit longius divertere ab animo. Ad terrorem ignescunt recedentes sub fronte & omnium angulorum exploratores oculi. Rumusculos quoscunque levissimos excipit patulis auri-

auribus, totaque mente complectitur. Pallore deformis, macie torridus, atras & mordaces curas describit in ruinis, nunquam rugas exuentis vultus. Tacet suppressa voce: suspirat miserabiles questus ab imo trahens, nec par premendis doloribus, quibus attrita viscera dilaniantur. Fastidit curiosissimo artificio apparatus epulas. Ipsos adeo, quos procreavit liberos, alias firmamenta paternae spei, causas facit metuendi sibi; odioque capitali prosequitur. Habuere adhuc dum momenta singula, quae vixit, metus & terrores suos. Violentiae scilicet impetu salutem suam firmat; opprimique, à quibus timet opprimi. Adeo vecors & à sanae rationis disciplina est remotus, ut non intelligat crudelitatem, nunc unicum auxilium salutis suae, funestam olim sibi fore. Erunt denique ex purpuratis, qui aequè malè ominantes sibi, maturabunt monstrum istuc à natura amoliri.

Ego verò Deos timeo. Fixum est, quem dedere mihi Regem, quidquid denique futurum sit, nunquam destituere. Satius est, me iubente ipso, quam ipsum me aut caedem inferente, aut non prohibente iugulari. Tu porrò Telemache, illud imprimis cave, ne resciscat Ulysses genitorem tuum esse. Alioqui abriperis in vincula, tyrannum allicientem spe, Ulysses, cum revertetur ad suos, magni libertatem tuam empturum.

Tyrum appulsus egi ex Narbalis consilio. Compertoque, verum dixisse, tota ingenii facultate non poteram assequi, qua ratione quis in calamitatem, qualis ipsa mihi Pygmalionis videbatur, se possit devolvere.

Obstupefactus tam luctuoso tamque insolenti  
specta-

ſpectaculo, cogitare cœpi: Homo iſte eò contulit omnem operam, ut felix, ut beatus eſſet. Id cenſuit aſſequendum congeſtis opibus, &, cui leges nemo auſit deſinire, potentia. Poſſidet, quidquid valet, ut poſſideat, deſideriò complecti. Atqui ex ipſis hiſce felicitatis adiumentis infelix eſt. Mutet aulam ſuam cum paſcuſ, ex quibus ego non evaſi pridem; nã ipſe perinde atque ego aget proſperè: dediſcet dolere & ægrotare animo: fruetur deliciis, quas ſine noxa Dii indulſerunt ruri: non ferrum, non venena metuet: amabit homines, amabitúrque. Non erit tum quidem in hac lauta atque bene aucta, ceterum quia eâ veretur uti, lutò nihil meliori forte. At erit cum libertate, lectis que ex agro fructibus: nunquam verâ premetur inopiâ. Crediderim miſerum illum agere, quæ libent ipſi. Verùm obedienter duntaxat facit, quæ libent effrenatæ ſuæ cupidini. Iam avaritia, iam metu, iam ſuſpicionibus abripitur. Imperio videtur coërcere homines; at ipſe rebellis, ipſe indomitus ſibi eſt, tot carnificum & tyrannorum mancipium, quot effrænatis appetentiis occupatur.

Hæc ego mecum de Pygmalione, quem tamen non videram. Nulla quippe eius videndi cuiquam dabatur copia. Præaltæ duntaxat turres illæ armatis, qui in præſidium ſunt, diu noctúque ſtipantibus ad intuentium formidinem ſpectabiles erant, infelix cuſtodia Regis ſponte & miſerabiliter captivi; utpote quibus ſe, curâsque ſuas (opes) continebat incluſas. Reputabam mecum; Tyrius iſte & ignobilis tenebrio quàm diverſus ab illuſtriſſimo Seſoſtre eſſet, qui tam facilis animo, accèſſu affatu; tam cognoscendæ peregrinitatis avidus,  
tam

tam studiosus audiendi etiam singulos, eruendique ex humanæ mentis recessibus illud in aulis prodigium, veritatem. Quid Sesostris metuebat (pergebam mecum) imò quid erat, quod metueret? habebant eius copiam ut sua ipsius pignora, ita & subditi. Contra quid est, quod iste non metuit, imò & metuat? vel in proprio palatio, quanquam adiri nequeat, inter ipsos adeò custodum salutis vigilumque cuneos ipsa sibi Regis improbitas perpetuat miserè pereundi discrimen. Salva erat inter infinitos populos Sesostris veluti patris in corona suorum bonitas.

Ceterum à Pygmalione præceptum, ut remitterentur auxiliares Cypriorum copiae, utpote debitâ ex fœdere operâ perfunctæ. Ex his Narbal captare occasionem me liberandi ab imminente servitutis malo. Numerabar ergo cum Cyprio milite. Nihil enim erat exiguum & spernendum adeò, unde non aliquid eliceret suspitionis Rex. Qui faciliùs credunt, & negligentius agunt Principes, peccant cæcâ fiduciâ, qua hominibus, quos charos habent, versutis depravatisque committuntur. Contra reus erat ex eo Pygmalion, quod diffidebat etiam honestissimis. Homines apertos, & sinceros, qui pro more habent agere simpliciter, æstimare non poterat. Imò cum viris probis nunquam vixit. Abominatur enim perversos Reges bonorum virorum probitas. Interea in imperii sui curriculo in hominibus, quibus assueverat, tot denudavit simulationis vestigia, tot argumenta perfidiæ, tot tamque nefaria, integerrimæ etiam virtutis specie adornata crimina; ut deinceps persuaderet sibi omne genus mortalium fingere,  
omnem

omnem candorem, veræque pretium virtutis universo terrarum orbi esse detractum. Unde haud aliter atque eiusdem fermè furfuris habebat, quotquot vivebant mortalium. Neque curandum sibi putabat, delectis impostoribus substituere, qui abessent à deceptionibus. Existimabat quippe, nec istos fore meliori frugi. Imò bonos, quàm apertè malos habebat deteriori loco, quoniam ipsi videbantur improbos non modo æquare nequitiam, sed & superare fallacia.

Sed revertor ad mea. Adiunctus Cypriis, fefelli acutissimam Pygmalionis suspicionem. Trepidabat Narbal metu, veritus, ne, compertò, quis essem, ambo multarem vitâ. Incredibile dictu, perfectionem meam quàm intolerabili desiderio expectârit. Verùm adversis ventis diutissimè detinebamur in portu.

Ceterùm perutilis mihi fuit hæc navigandi mora ad perdiscendos mores huiusce per orbem celebratissimæ gentis. Mirum mihi erat, urbem Insulæ, medio enatæ mari, commodissimè incumbere. Quæ vicina est ora, fertili gleba & pomorum, quæ gignit, præstantiâ commendatur, urbiumque ac pagorum ferme perpetua serie. Accedit cæli saluberrimus iuxta ac periucundus haustus. Quippe hinc iuga montium vapores Austri levant, illinc à mari Aquilo frigus afflat crepidini. Omnis hæc regio sub radicibus Libani montis procumbit, dissectis nubibus, iugum astris immitturi. Æterno frigore frons eius adstringitur: Petræ, quæ eidem accumbunt, torrentes nivium, velut elisos fluctus, præcipitant. Petris vastissima sylva subiicitur. Cedri sunt, ut

D

appa-

apparet, coævæ solo, quo aluntur, & crassis elatisque ramis quasi brachiis offerentes nubibus amplexum. Quà se demittit nemus, apto pascuis solo excipitur. Passim boum greges feruntur cum mugitu, oviùmque & eorum, quos peperere non pridem, voces molliter raucæ, herbas innoxia lascivia fatigantium. Perennes aquarum rivuli non alibi frequentiores manant. Ad usque radicem montis hæc pascua declinantur, horto nihil absimilem. Hic Veris Autumnique videas non sese consequentes, sed coniunctas vices; adeò floribus humum, arbores pomis una impertiuntur. Numquam Auster, qui, quidquid viret, perimit maligno spiritu, numquam acutus Aquilo egregium loci decus extinxit.

Atque huic oræ, cuius nunc pulchritudinem depinxi, imminet insula, in qua sita Tyrus. Nantanti similem, crederes imperare universo mari. Mercatores accipit ex omnibus orbis partibus. Cives non alii nobiliores à mercandi industria. Vel primus obtutus intrantibus persuadet, eam non unius, sed omnium gentium emporium esse, urbiumque, quæ merces mutant, centrum. Duplex vallum, extractum lapidibus, in mare exporrigit, eoque ceu duobus brachiis impervium ventis portum stringit. Nemoris speciem portui inducunt navigia erectis malis, eo appellere numero solita, ut vix maris post se spectandi relinquunt discrimen. Cives omnes negotiantur, neque atictæ opes faciunt, quò minus eas istâ operâ velint augere. Ubique byssus, quam Ægyptii, ubique purpura bis tincta & mirabili splendore, quam Tyrii parant. Atque hic quidem color, si bis eum vestes imbibere,

re,

re, fidelis est adeò, ut numquam cedat etiam diurnæ temporum iniuriæ. Tenuissima carbafus illo imbuitur, auro argentóque affabre interferto dehinc illustranda. Ceterum Phœnices inde ad Gaditanum fretum nundinandò gentem nullam prætereunt. Quin ad ipsum Oceanum penetravêre, qui universum terrarum orbem cingit. Longiùs etiam in mari Rubro ausi procedere, inde ex ignotis insulis aurum & odores petunt, diversâque genera animalium, quæ alibi non gignuntur.

Ab urbe tam ad aspectum magnifica, tam communiter laboriosa difficile mihi erat cupidum oculum abducere. Quod urbibus nostris obvium; non videbam hîc cessatores, non alienarum rerum aucupes, qui vagabundi aut nova captant in foro & compitis, aut otioso aspectu inhærent advenis, qui intravêre in portum. Viri exonerant navigia, merces aut promovent aliò, aut pretio alienant. Sed neque fœminis hora vacat. Aut inter lanarum pensa sedent, aut lineamentis futurum acu opus præeunt, aut pretioso filo texta componunt, atque concinnant.

Ego ad Narbalem: quî factum, ut Phœnices totius orbis commercia atque ex his tantas opes, exhaustis cæteris gentibus, vendicârint sibi? ille; quî factum hoc sit, vides. Opportuna negotiationibus Tyrus est. Navigandi rudimenta patriæ nostræ orbis debet. Et (si, quæ obscuræ vetustatis rarò incorrupta ad nos transmisit fides, libet credere) Gens nostra prima fuit, quæ haud paulò ante Typhin & Colchicæ profectiōnis Heroäs ratibus subiecit undas. Prima, inquam, fuit, quæ fragili trabe indomitum tentavit mare: immensi-

tatem detraxit pelago : observavit per Ægyptiorum Chaldæorumque scientiam (quantum à terris recedentia!) sidera. Quid multis : hæc divisos toto Oceano populos coniunxit. Nimirum plus industria Tyrii sunt, aduersorum & laboris patientes, habili ingenio, sobrii, nec in re domestica dissoluti. Iunguntur perfectissima disciplina, concordiaque : neque alia natio umquam aut constantior fuit, aut maiori candore ac fide, aut accessu tutior commodiorque quibuscunque demum exteris.

Porro quæ res illi maris imperium, quæ tantas ex mercandi celebritate opes : supervacaneum est inquirere, quippe ex dictis id satis superque intelligenti. Si dissidia, si livor tentaret cives ; si deliciis, si otio defluerent ; si laborem fastidirent urbis principes, si rem familiarem negligèrent ; si porro dignitatem artium insensescere permitterent ; si contra quàm candor aut fides præscribit, actitarent cum exteris ; si vel apicem de institutis mutarent aut violarent liberi commercii ; si torperent opifices ; si pœniteret magnorum sumptuum, quos ad merces etiam singulas suis absolvendas numeris necesse est ante expendere : nã tu primo quoque tempore potentiam istam, quam obstupescis modò, videres hebescere.

Age verò, Narbal (ita dehinc ego) rationem veram doce, qua aliquando huiusmodi commercium etiam in Ithaca valeam instituere. Tyriorum (excipiebat ille) mores sequere. Ne malè, ne severè peregrinos accipias. Portus tutos, commodos, liberos venientibus para, nec aut avaritia, aut arrogantia ipsis te redde invisum. Numquam ni-

mium

mium lucrari velle, & lucrum tempori dimittere, certa lucri est via. Fac te ament exteri, nec velis nihil molestiæ ab iis pati. Cave, quidquid elationem præfert animi, ne confles tibi invidiam. Commertium simplicibus & levioribus institutis commenda, à quibus nec ipse umquam deflectes, nec, ut velit subditus deflectere, assuefacies. Fraudem mercatores, imò & incuriam insolentiamque graviter luant, quia inferendò damna mercaturam facientibus promoventibusque, solitudinem creant commercio. Illud autem à te procul sit & assiduè, videlicet ita sordido arbitrio disponere negotia, ut tibi existant fructuosa. Enimvero præstat, imò decet, Principem horum penitus exortem permittere, ut, cuius erat labor negotiandi, subditum integer eo ex labore fructus reficiat; nisi velit paulatim huiuscemodi studium desideriumque hebetare. Abunde dives Rex erit, ex commerciis si ditescant subditi. Hæc quippe fontibus quidam assimilant, qui aliorum derivati exsiccantur. Utilitas & emolumentum in terras tuas invitat externos. Itaque si per te utiliter prosperèque, quàm antea, negotiantur minùs: sensim eorum frequentia atteritur, non reparanda in posterum; quoniam ab aliis populis, quibus non inutiliter descivisti à commerciorum prudentia, pellecti assuescunt te tuisque sine damno carere. Ceterùm & hoc tibi cogor affirmare, famam urbis nostræ fuisse per tempora proximè superiora magnopere levatam.

Utinam urbem hanc, Telemache, Pygmalione nondum Rege, vidisses! Quantò tum eius tibi aucta fuisset admiratio! Nunc verò unas easque tristes

reliquias vides magnitudinis, quæ tamen nec ipsa  
secura exitii est. In quas, urbs misera, cheu! in-  
cidisti manus, omnium gentium cui tributa quon-  
dam invexit pelagus!

Pygmalion quidem & à suis & ab aliis extrema  
quæque sibi timet. Patrio more fuere alioquin por-  
tus nostri omnibus, etiam ad extremas orbis partes  
proiectis, gentibus apertissimi. At nunc ille contem-  
pto hoc salutari instituto indicari sibi iubet, quot  
appellent navigia? unde gentium missa? quæ  
vectorum nomina? quibus dediti mercibus? quæ  
rerum venalium conditio, quod pretium? quis  
terminus moræ, quam exigere decrevissent in  
urbe? Peiora accipe. Fraudulentas quoque artes  
excogitat, ut delicti titulò præter opinionem cir-  
cumscriptos bonis mulctet. Vexat, quos credit  
institores ditissimos: exactiones, quibus nescio  
quas prætexit causas, accumulatur. Iam & ipse co-  
natur inire commercia. Sed quis volet hunc foci-  
um? Sic ergo refrigescit negotiatio. Tyrum, à se  
toties frequentatam, magis magisque prætereunt  
exteri; & nisi mutetur Pygmalion: mutata sede,  
ad populum, meliori qui subest, gloria nostra po-  
tentiæque se transferet.

Hæc elocutus rogatur à me, qua ratione factum,  
ut demum Tyrii navibus tantum valerent; neque  
enim, quod ad erudiendum imperium faceret, vo-  
lebam ignorare. Et ille: Sylvæ Libani nostræ sunt,  
quas, quia materiam suppeditant navibus, custodi-  
mus intentiore cura. Ligna nisi publica necessi-  
tate haud cæduntur. Rei nauticæ præcipuum auxi-  
lium sunt periti, quos habemus, opifices. Et quo-  
modo istis urbem vestram auxistis? Paulatim (hæc  
inter-

interroganti inquit) & procedente tempore è gente nostra prodierunt. Si eis, qui excellunt artibus, merces pendatur operæ, sperare licet, actutum futuros, qui nihil ex omnibus artium suarum numeris desiderent. Ad fructuosissimas quippe artium nobilissima ingenia toto studio feruntur. Et hîc quidem loci eos impensius colimus, qui idoneas navigantibus artes, scientiâsque didicere. In honore est bonus geometra: in oculis geruntur, qui non ineptè siderum motus & stas temporum vices docent: numquam eget, qui aptius reliquis moderatur navi. Nec, qui rite ligna cædunt exciduntque, nullo sunt numero; nam & iustissimum pretium datur, & liberalem victum accipiunt. Nautis etiam rite, & quod officii ipsorum, laboribusque respondeat, stipendium dependitur. Bene habentur ipsi, & coniuges ipsorum liberique curantur; quippe patribus haustis naufragio, eorum, quos reliquere, saluti prospicitur. Qui verò ad destinatum tempus marî extraxere operam, dimittuntur ad suos. Eaque res facit, ut numquam laboremus remigum copiâ. Patres enim gaudent filios assuefacere tam utili ad comparandum victum instituto. Adhucdum pueros docent remos agere, tendere rudentes, horrorem turbulenti maris non exhorrescere. Atque ita homines præmiis & disciplina numquam trahuntur inviti. Parùm affert sola auctoritas; parùm illorum, quibus imperare possumus, submissio. Ad benevolentiam alliciendi sunt animi, curandùmque, ipsa negotia nostra laborantium lucris famulentur.

His dictis Narbalem secutus frumentorum armorumque receptacula & navales officinas obivi,

Percontabar curiosissimè singula, minutissimàque; & ne quid, cum re non otiosè coniunctum, falleret memoriam, tabulis responsa mandabam.

Ceterùm Narbal (ut Pygmalionis mores pulcherrimè callebat) impatientiùs tulit profectiois nostræ moram. Verebatur enim, ut à me possint speculatores Regis diu falli, quippe qui dies noctesque totam urbem excuteret. Sed adhuc adversabantur abituris venti. Inter hæc, dum portum studiosè inspicimus, dum varia ex variis mercatoribus scitamus: servus, qui Pygmalionis erat, in conspectus nostros venit. Rectà sese agebat ad nos. Narbalem allocutus: Regi, inquit, modò nuntiatum est à præfecto quodam illarum navium, quæ ex Ægypto remeârunt, peregrinum, qui ex Cypro esse vulgò crederetur, tua advenisse navi. Hunc ipsum in custodiam iubet tradi, atque cuius sit, omnino explorari. Tu verò eum capitis tui periculo præsentabis. Fortè tum aliò paulisper diverteram, ut ex fabrica haud ita pridem confecti navigii, quo ordine singulas eius partes Tyrii concinnâssent, aspicerem. Quippe affirmabant, ob accuratam & ad artis nauticæ præcepta exactam partium inter se compositionem præferri omnibus, quæ umquam intrâssent portum. Ego itaque rationem totius operis ab homine, qui fecerat, exigebam.

At Narbal multo pavore, & vix compos mentis, specièque iam accingentis se mandato, respondit, illum ex Cypro peregrinum strenuè quæsitum iri. Ceterùm ex oculis digresso servo, citato ad me gradu & periculi, in quo versarer, nuntius: næ, ego istud, sic clamat, dulcis Telemache, prævidi,  
&

& prævidi amplius quàm quod maximè! occidimus, eheu! Rex, nocturna diurnaque distringente diffidentia, alium te, quàm Cyprium suspicatur. Tu iuberis intercipi; & ego, nisi tradidero te, mori. Quid consilii? Docete, Dii, evadendi filium! in Regiam ducendus es, Telemache, & à me quidem. Tu ergo omni asseveratione asseverabis, Cyprium esse te, Amathonte oriundum, & artificis, qui Venerem sculpisset, filium. Ego verò comminiscar, me quondam patris tui habuisse notitiam. Ita fieri potest, ut Rex percontari, tu factâ discedendi copiâ periclitari desinas. Aut hæc, aut nulla salutis nostræ via.

Sine, Narbal (aiebam ego) sine, infelix pereat, quem fata nolunt salvum. Didici mori. Tène autem ego in meam unâ abripere perniciem tam & toties de me bene meritum? Cyprius non sum; nec fiet, ut affirmem esse. Vident, quàm procul à me fallere, Dii. His volentibus salvus ero. Ceterùm non committam Telemachus, ut mendacio spiritum hunc debeam. At enim istud genus mendacii, Narbal subiungit, quis damnet criminis! Dii ipsi permittunt. Innoxium est; & ne innoxii duo opprimantur, cavet. Imponit Regi; scilicet ne infandum id committat scelus. Tu verò ampliores æquò terminos amoris virtutis assignas; nec formido, qua Religioni caves, inanis à superstitione est.

Satis est, inquiebam ego, mendacium numquam, ideòque nec homini convenire. Homo præsentis, dum loquitur, habet Deos; unde à vero recedere numquam sine noxa potest. Mendax & Deos lædit & se, quippe propriæ suæ refractarius conscien-

tia. Desine, Narbal, suadere, quod utrumque facit reum. Nôrunt Dii nos liberandi, liberare si velint, modum. Cæsi, iis volentibus, erimus veritatis victimæ, & in mortales magnum exemplum integritatem vitæ diuturnæ præferendi. Et mea quidem ob calamitates iam diuturna nimis est. Tu verò, dulcis Narbal, tu unum es argumentum mei doloris. Ergone amicitia, alienam miseriam qua foves, te reddet miserum?

Huic de veritate certamini cum immoramur diutius: Ecce tibi! homo præcipitans ad nos eo impetu cursum, ut ageretur in anhelitus. Et ipse ex Regia servus erat, missus ab Astarbæa, quæ formam proximè divinam ingenii dotibus ex æquo augebat. Multi leporis, blanda, animosque hominum facillimè subiens; ceterùm captiosè elegans Sirenum ex more. Lenocinabatur aspectu, at sæviebat mente barbara, malignaque. Sed (quod pestiferum) ipsius animi sceleratos impetus & consilia tam occultè quàm acutè reflectebat. Præterea & oris pulchritudine, & lepore ingenii, & muliebri vocis illecebra, molissimoque lyræ cantu ita noverat movere ferreum alioqui Pygmalionis animum, ut abreptus violento æstu libidinis, è tori societate eiecta coniuge, quam Topham appellavêre, dehinc in una Astarbæa deperiverit, totòque animo de explendis ambitiosæ huius mulieris cupiditatibus sibi putaverit cogitandum; æquè miser alienos amores consecutando, atque alienas opes fordidissimè sitiendo. Quamquam enim penitus sese in amores eius effuderat, ipsi tamen amariæ vilis erat, & perenni fastidio. Atqui & istud tam intolerabili simulatione textit muliebris

bris

bris fallacia, ut vel tum eius unius gratia vitam se amare fingeret, cum maximè odisset. Erat Tyri ex Lydia iuuenis. Malachonti nomen: forma ad miraculum speciosa. Indoles tamen ipsa declinans ad muliebrem mollitiem, nec potens etiam immodicæ libidinis. Planè singularis & omnis cogitatio eius fuit consulere oris teneritudini, fluentis comæ cincinnos, germanos auro, & in humeros mollissimè descendentes componere, unguentis sese perfricare, lepidissimè disponere ac instruere sinus vestium, denique personante lyra amores suos recitare. Videt Astarbæa hominem: amat, & perditè quidem. Ille negligit. Videlicet prensabat aliam, & periculum erat, Tyranno rivalem esse. Ergo fœmina, satîs certa, se contemni, ab amore ruit in ulciscendi consilium. Desperatione furentem subit, effici à se posse, ut Malachon habeatur pro illo advena, quem inquirei rex iusserat, & cum Narbale venisse fama disperferat. Et verò, rem ita esse, persuasit Regi; ære corruptis, quicumque fraudem potuissent incidere. Nimirum bonos & oderat & ignorabat Rex; igitur latus eius cingebat una rei suæ semper studiosa calliditas, quæ, quorum inceserat animis, eos etiam iniqua & crudelia imperanti strenuos ministros applicabat. Atqui iidem, Astarbææ auctoritatem potentiâque metuentes, fallacia eius & errorem domini adiuuabant, ne invisi redderentur adeò feroci dominæ, cui is planè confidebat. Itaque Malachon, quamquam omnibus perspectum erat ex Creta advenisse, iuebatur haberi pro advena, quem ex Ægypto Narbal advexisset. Traditur itaque in custodiam.

Astarbæa

Astarbæa multùm sollicita, ne accideret, ut illatus aulae Narbal, inito cum Rege sermone, indicaret stropham: seruo, de quo antè dixeram, festinanter misso, significabat: etiam atque etiam velle se, peregrinum, quem adduxisset ipse, Regine proderet. Unum ab eo silentium postulari. Facturam se, ut nihil detrimenti patiatur taciturnitas. Iuvenem autem, ab Ægyptiis cum ipso profectum, quantò posset ocyùs, cum Cypriis imponeret navi, ut dehinc esset extra urbanorum conspectum. Quis oblata & suæ & meæ salutis occasione Narbale lætior? Silentium cumulatissimè pollicetur. Quo obtento servus & ipse nihil tristior revertitur, expositurus Astarbææ, quæ egisset.

Mirabamur Deorum clementiam, qui hanc candori mercedem, manifestamque pro virtute tentantibus ultima impenderent curam. Contra detestabamur regem, qui nihil præter opes spectaret, fordidaque voluptatis illecebras. Unde nos hæc invicem: Qui metuit iusto diligentius, ne decipiat, dignus est dici, ac plerumque decipitur improbius. A bonis timet sibi, credit malis. Unus omnium, quæ aguntur, ignarus est; & proh pudor! ludibrio habetur a prostibulo. Interim malorum fallacia sæpenumero instrumentum fit, quo cælum bonos liberat, qui malunt non vivere, quàm fallere.

Inter hos sermones mutabantur venti, obsecundantes navigaturis Cyprum. Quo animadverso, ecce Deos! Narbal exclamat, securitatem offerunt, Telemache. Fuge crudeles, fuge infelices terras. Felicem me, te si ad oras extremas sequi, si vivere  
&

& mori tecum possem! sed eheu! devovit me miserabili, quàm hic vides, patriæ triste fatum. Cum ista me oportet pati, & nescio, an non eius quondam ruinis regi. Utcumque autem res aderunt: satis mihi, si modò veri, rectique semper tenax sim. Tibi verò, Telemache, Dii, precor, quorum manifesto ductu videris gubernari, Divinum munus veræ perfectæque virtutis haud velint umquam subtrahere. Vale! Ithacam repete, solatium affer Penelopæ, & libertatem à procerum molestia. Utinam illud celebre per orbem oraculum, Ulysses oculi tui aspiciant, amplectantur manus! utinam & ille in te accipiat à sapientia sua non degenerem filium! at secundis rebus affluens, cave obliviscaris mei, nec amare felix miserum desine.

Huic postremæ salutationi non verbis, sed lacrimis respondi, quas vale dicenti affundebam. Voce enim prohibebar gravi gemitu. Itaque à silentibus in ultimos amplexus itum, processumque ad portum, ubi subsistentem eum deserui. Sublati anchoris, quàm diu oculi ferebant, mutuo inter nos aspectui est indultum.

## TELEMACHUS.

### LIBER IV.

**C**Alypso eodem adhuc vestigio Telemachum audierat, mirabili rerum eventu impotenter affecta. Tunc sermonem eius interpellans, ut non nihil otii daret: Tempus est, inquit, ut tot tantisque molestias & labores dulci somno

somno